26

I. N. D. N. J. C.

EXERCITATIO JURIDICA XXXVI.

De

RATIONE, QUA CREDITORES A DEBITORIBUS DEBITA CONSEQUUNTUR.

Quam

Suffragante Magnifico & Nobiliſſimo JCtorum Ordine in inclutâ LL. nutrice Salanâ

PRÆSIDE

BIBLIOTECA ... ROMA

VIRO

Nobiliſſimo, Conſultiſſimo atq; Excellentiſſimo

DN. GEORG-ADAMO Struven

J.U.D. & Prof. Publ. Conſiliario Saxonico, Curiæ Provincialis & Scabinatus Aſſeſſore graviſſimo,

Præceptore & Promotore

plurimùm devenerando

Potiores ex ejuſdem Publicis & Privatis Prælectionibus delibatas theſes publicè ad Diſputandum proponens ſuſcipit

CHRISTIANUS Tannenberg/ Freibergâ-Miſnicus.

In Auditor. JCtorum

D. Julij. Horis à VII. Matutinis.

6 JENÆ Prelo LOBENSTEINIANO
A.R.S. cIↄ Iↄc XLVIII.

VIRIS

Nobilitate & antiquâ proſapiâ clariſſimis, graviſſimâ autoritate & amplitudine ſpectatiſſimis, ſagaciſſimaq; rerum civilium prudentiâ cumulatiſſimis

DN. JONÆ Schönleben/ vff Langenrinne etc. Sereniſſimo Electori Saxoniæ à Decimis metallicis, & Reipubl. Freibergenſis Conſuli longè meritiſſimo, Mœcenati, Promotori & Affini ſuo, æterno reverentiæ & obſervantiæ cultu ſuſpiciendo.

DN. HENRICO Schönleben/ prælaudatæ Reipubl. Senatori eminentiſſimo ac vigilantiſſimo, ærariiq; pauperum Præfecto primario & fideliſſimo, ſuo itidem Patrono, Affini & Suſceptori omni honoris & obſequii ſtudio ætatem proſequendo,

Exercitium hocce Juridicum

In ſubmiſſi & grati animi declarationem, ſtudiorumq; ſuorum commendationem devotâ manu

inſcribit & offert

CHRISTIANUS Tannenbergk.

I. N. J.

EXERCITATIO TRICESIMA SEXTA,

De

RATIONE, QUA CREDITORES à DEBITORIBUS CONSEQUUNTUR DEBITA.

Ad D.L.42.t.3. & ſeqq. ad L.43.C.L.7.t.71. & ſeqq. ad L.8.

THESIS I.

CReditores ad obtinendum id, quod ipſis debetur, mittuntur in bonorum ad debitores ſpectantium poſſeſſionem, & ex illis bonis legitimâ ratione creditoribus ſatisfit. Videndum verò hîc I. de cauſſis illius miſſionis, quæ ferè ſunt contumacia debitoris latitantis: aut rei judicatæ *(de quâ Exerc.41.)* non parentis *Vid.Exerc.20.th.8.& 9.* & ceſſio bonorum.

R. Chriſtian. Tannenberg. Freibergâ-Miſnic. 15. Julij 1648.

II. Ceſſio bonorum eſt, cùm quis oneratus ære alieno bona ſua creditoribus ſponte, voluntatem ſuam quibuslibet verbis profitendo, dimittit, ut ipſe moleſtias, cumprimis carceris, evitet, & creditoribus exigentibus, quoad ejus fieri poſſit, intereà ſatisfiat. *l.6.C.h.*

III. Cedere poſſunt bonis omnes debitores, qui interpellati de ſolvendo tantum in ære, eò quòd bonis lapſi ſunt, non habent, quo ære alieno ſe liberent, *l.7.C.h.* Adeò ut ne quidem iis denegetur, qui jurarunt ſe ſoluturos; nec iis qui renunciarunt huic flebili adjutorio: quæ renunciatio ſi jurata fuerit, relaxationi erit locus. *Vid.Perez. in C.h.n.3.17.& 18.* Sunt verò qui non indigent hoc auxilio, ii nim. quibus datur benef. competentiæ, *l.18. de re jud. c.3. de ſol.* Sunt deinde quibus denegatur benef. ceſſionis, ut (1) qui in fraudem creditorum bona alienârunt aut diſſipârunt (2.) qui ſpe ac animo cedendi contraxerunt ſcientes ſe non eſſe ſolvendo (3.) qui fo-

ro ceduut ac multorum pecuniis interceptis contra fidem, quam dederunt, ſolū vertentes aliò confugiunt. Policeyordn. t 22. *Add. Beſold. theſ pract. voc.* Banckerotirer/Falliten/ *Matth. Steph. ad N. 135. n. 7. & 16.*

IV. Admittitur hæc ceſſio non in cauſsâ criminali *l. ult. d. in jus voc. l. 1. inf. d. pœn.* Sed debitis civilibus, *Conf. Perez. h n. 7.* Et quidem requiritur ut (1.) debita ſint liquida, & à creditoribus ſolutio eorum inſtantiſſimè urgeatur, *Brunus tr. de ceſſ. bonor q. 2. pr. n. 1. q. 7. quart. quæſt. 11. n. 1.* (2.) à debitore bonis cedente deſignentur *Id. ib.* (3.) ut creditores omnes convocentur, *Carol. de Graſſ. tr. de exc. c. 17. n. 50.* & (4.) ut omnia bona à cedente indicentur: mediante Inventario omnium bonorum & traditione libri rationum. *Stracch. d. decoctor. P. 7. n. 14.* Vel etiam juratâ ſpecificatione. *Conf Dn. Mev. ad Jus Lubec. L. 1. t. 3. art. 1 n. 19.* His ita indicatis cedit debitor creditoribus omnia ſua bona, ita ut ipſi nihil præter veſtes quotidianas, ſub quibus & lectum comprehendunt, relinquatur, *Peck. d. jur. ſiſt. c. 45. n. 19.* ne quidem alimenta neceſſaria, quæ tamen ipſi ex bonis poſtea quæſitis conceduntur, *§. f. J. d. action. l. 6. l. 4. h.* Non tamen ceduntur ipſæ res feudales, emphyteuticæ & ſimiles, nec fideicommiſſo obnoxiæ, *arg. l. 3. h.* ſed tantùm commoditas illis fruendi quamdiu debitor vivit, *l. 48. § 1. de jur. fiſc. l. 69. §. 1. d. legat. 2.*

V. Factâ ceſſione petunt creditores immiſſionem in bona, & ut bona diſtrahantur, indeq; ipſis ſatisfiat, *l. 4. C. h. Vid. Perez. n 25. & 26.* Poteſt tamen pœnitere cedens & bona nondum diſtracta avocare, *l. 2. C. h.* Quod ſi bona ita ceſſa non ſufficiant ad exſolutionem, à debito excurrente non liberatus eſt per ceſſionem, ſed ſuſpenditur actio, vel etiam contra debitorem jam condemnatum ſententiæ executio, donec ad pinguiorem fortunam pervenerit, & eatenus in poſterum convenitur à ſuis creditoribus in quantum facere poteſt, ut nim. ipſi relinquatur, unde ſe decenter alat. *l. 6. h. l. pen. inf. C. eod. Perez. n. 10.*

VI. Quamvis autem *in N. 135.* conſtitutum legatur, quod nemo cogatur bonis cedere, dummodò juret ſe non eſſe ſolvendo: illa tamen Nov. uſu non recepta, *teſte Petr. Gudel.*

Gudel.4.d jur.noviſſ.c.16. Perez.n.8. Bach. ad Weſ.b.t.n.6. Non verò ſemper debitor adceſſionem urgetur, ſed poteſt inducias moratorias poſtulare *l.f.C.b.l.4.C.d.prec. Imp. off. Perez. n.11. 22. Vid. Gulielm. Anton. tr. d reſcr. morat. Kinſchot. tr. d. ſolut. induc.* Notandum denique, quòd licet jure civ. ceſſio bonorum introducta, ut evitet debitor moleſtias carceris, *l. 2. C. d. exact. tribut. Avth. Imò à debito, C.d.O. & A.* quibusdam tamen locis vigere carcerem publicum; it. mancipationem ſeu addictionem in ſervitutem creditoris. *Vid. latè Dn. Mav. ad Jus Lubec.d l.1.t 3. art.1. n. 28. & ſeqq.*

VI. Videndum II. de modo & effectu miſſionis: quò pertinent (1.) ea quæ jam *Exerc.20.th.7.8.9.10.31.* expoſita. (2.) quod, ſi fortè abſit vel mortuus ſit debitor, nec ei heres exiſtat, curator bonorum ſit conſtituendus, qui creditoribus reſpondeat, *t.t.d.cur.bon. dand.Dn.Carpz.1 c.28.d.8.*

VII. Conſtituitur autem hic vel (1.) à judice legitimo *l.2 pr. h.N.117 c.1.§ 1. & quidem hodie ab omni magiſtratu, cui ille, cujus bonis datur, ſubeſt, arg l.2.§.2.h. Rol. à Vall.1.conſ. 48. n.17.18.* etiam ex officio, *Stephan.d off.jud.L.2.c.6.n.1. Aſin.d. exſec.§ 3.c.10?.Menoch.2.arb.150.n.20.* adhibito tamen conſenſu majoris partis creditorum, *l.2 pr.b.l.15.d. reb. aut.jud.* nec non aliorum quorum intereſt. *Montan. d. tut.c.28.n.64.* quos itaq; omnes citabit, *Gail.1.o.130.n.3. Borgn. Cavalcan.d.tut. & cur. n.110 Vid Mav. ad Jus Lub.3.t.1.art.10.n. 48. & ſeqq.*

IIX. Vel conſtituitur (2.) privato creditorum conſilio, idq; duobus caſibus: 1. à creditoribus ex ſecundo decreto in bona debitoris immiſſis, ad bona diſtrahenda, *v.l.f.b.l.9.pr. d cur.fur* 2. à creditoribus ex primo decreto miſſis ad bona cuſtodienda & adminiſtranda, *l. 8. §.fin. & Zaſ.ib.d.reb.aut. jud poſſ. l.15.pr.eod.l.8.quib.ex cauſſ. in poſſ. eat.*

IX. Quæ in ipſâ perſonâ curatoris conſtituendi requirantur, & quæ ab ipſo præſtanda, illa peti poſſunt ex dictis de tutoribus & curatoribus aliis *Exerc.25.* Unde etiam ipſi incumbit inventarium conficere, *l.15.d.reb aut.jud.poſſ.* aut jurabitur in litem. *Menoch.2.a.q.205.n 16. Exc.vid.ap. Montan. d.t. d.tutel. c.32.reg.5.n.85. Garſ.d.exp. & melior.c.10.n.22.* Non tamen tenetur quis invitus hoc munus ſuſcipere, *v.l.2.§.3.b.l.4. C.d.reb. auth.jud.*

X. Legitimè conſtituti curatoris officium & poteſtas conſiſtit in fideli bonorum adminiſtratione ad eum finem directâ, ad quem datus, ſcil. ſive ad cuſtodiendum tantùm, *quo tamen caſu tenetur res quæ ſervando ſervari non poſſunt alienare, Add. Gail. 1. o. 148. n. 23. Coler. d. proc. exſec. p. 1. c. 2. n. 156. actiones tempore perituras exercere, l. 14. pr. d. reb. aut. jud.* ſive ad diſtrahendum. Hujus adminiſtrationis rationes reddet, *arg. l. 1. C. ubi d. ration.* Præſtabit autem dolum & latam culpam, non levem, *arg. l. 9. §. 5. d. reb. aut. jud. Montan. d. tr. c. 39. n. 35.*

XI. Conveniri verò poteſt curator à judice conſtitutus à creditoribus omnibus, & quidem ab iis qui præſentes fuere actione mandati, qui abſentes, actione neg. geſtor. *arg. l. 22. §. 10. mand. l. 6. d. neg. geſt.* Privatim verò conſtitutus tantùm tenetur his, qui ipſum elegerunt, non autem reliquis, *l. f. h.* Viciſſim curatori contra creditores datur actio contraria mandati vel negotiorum geſtorum, ad repetendum id, quod ipſi propter adminiſtrationem abeſt, *Garſ. d. exp. & melior. c. 20. n. 7. 11. 16. 17. De ſalario vid. Exerc. 18. th. 42. Garſ. d. c. 20.* Peculiaris eſt actio in factum, quæ debitori vel etiam curatori contra creditorem miſſum competit, *de qua vid. l. 9. pr. & §§. ſeq.*

XII. Agendum III. de ordine, quo pluribus creditoribus concurrentibus ſolutio facienda: ubi notandus primò eſt proceſſus in concurſu creditorum, de quo legas *Dn. Carpz. c. 28. def. 1. & def. 12.* Deinde ipſa collocatio plurium creditorum: Præferuntur a. creditores alii aliis vel ex beneficio Prætoris jure ſeparationis; vel ratione juris in re ipſis præ aliis competentis; Vel ex ſpeciali jure prioritatis.

XIII. Separatio eſt diverſorum patrimoniorum *debitoris ſcil. & heredis* ad eandem perſonam pertinentium, *heredem ſcil.* diſtinctio, ut ex ſingulis patrimoniis æs, ſingulo patrimonio adhærens, ſolvatur. Quamvis enim aditâ hereditate bona defuncti & heredis confuſa ſint, *l. 23. § f. d. acq poſſ.* Prætor tamen æquitate motus hoc introduxit beneficium ſeparationis. *Vid. l. 1. §. 1. h. l. 2. C. reb. aut. jud.*

XIV. Datur hoc beneficium creditoribus hereditariis (*etiam heredibus inſtitutis l. 7. C. d. 1. Perez. n. 19.*) id petentibus

l. 1.

l.1.§.16.h. ſi heres defuncti ſit ſuſpectus quod non ſit ſolvendo *l.ult.§.4.C.d.jur.del.* adverſus heredem ejusq; creditores, ut bona hereditaria quæ fortè ſufficiunt ut inde creditoribus defuncti ſatisfiat, ſeparentur à bonis heredis, nec creditoribus heredis ſimul ex utrisq; ſolvatur *l.1.§ 1.l.4.§.1.l pen pr.h.* Notandum autem, quod talis ſeparatio ſit neceſſaria chirographariis; non verò hypothecariis creditoribus. Potiores enim erunt creditores tales defuncti in rebus hereditariis; heredis in reb9 heredis, licèt hi illis, vel illi his tempore ſint poſteriores; & quidem proprio jure non tanq. potiores, ſed tanq. ſoli in pignore *l. 2. qui pot. in pign.* cum aditione hereditatis non fiat confuſio hypothecarum *l.38.§.f.d ſolut. Scomn. exam. Jurid h.t.Carpzov.4. reſp.18.n.23.*

XV. Heredis creditoribus contra defuncti creditores ſeparatio regulariter non conceditur, quia licuit heredi quaſi contractu aditionis creditores hereditarios ſibi adjiciendo ſuorum creditorum conditionem facere deteriorem, non etiam alienorum *l. 1. §. 2. h. Perez. in C. d bon. aut. jud. poſſ. n. 19. Exc. in l. 1. §. 5. 6. it. l. 1. §. f. h.* Præterea inventarium ſi confectum fuerit ab herede non confunduntur credita defuncti & heredis *l.f.C d.jur.delib.Add.Surd.dec.310.n.14.*

XVI. Petitur extra ordinem ſeparatio à Prætore vel Præſide, cauſsâ cognitâ eam decernente *l.1.§.14.h.l.2.C.d. bon. aut.jud.poſſ.* Hodiè à quovis legitimo magiſtratu per implorationem officii judicis.

XVII. Impetratâ ſeparatione admittuntur (1.) creditores defuncti *l.1.§ 3.l.4.h.* adeo ut etiam chirographarii præferantur iis, qui ab herede pignus nacti ſunt in bonis hereditariis *d.l.1.§.3.h.* (2.) legatarii *l. 6. l. 4. §. 1. h. §.ult. J. ad L.Falc.* (3.) ſi quid ſuperſit ex bonis defuncti, creditores heredis *l.3.§. 2.l.5.h.* Qr. autem ſi non ſufficiant bona hereditaria, heres autem ſolvendo ſit, an creditores defuncti ad heredem reverti queant? *N. l.1. §.17.l.5.h. Non obſt.l.3.§ f.*

XIIX. Non competit ſeparationis beneficium (1.) ſi quinquennium poſt aditionem elapſum *l.1.§.13 h.* (2.) ſi bona defuncti cum heredis ita commixta & confuſa ſint, ut nullo modo diſcerni queant *l.1.§.13.h.* (3.) ſi b. fide hereditas ven-

dita *l.2.h.* Deniq; (4.) denegatur illis creditoribus, qui heredis fidem ſecuti ſunt, uti ſi novationem cum eo inierint. *l.1.§.10.11.15.l.f.h.*

XIX. Ratione juris in re præferuntur I. qui Jure dominii petunt res ſuas & quidem (1.) in genere domini (*etiam illi, qui ex ſingulari jure domini ſec. th.10. Exerc.9.*) per rei vindicationem res ſuas ante alia debita exſtantes à poſſesſoribus; iis verò non exſtantibus poſt hypothecarios demum admittuntur, etſi poſſeſſor dolo deſierit poſſidere. *Bl. in l. in rebus C.d.jur.dot n.1.2. ubi dicit: quicunq; prætendit dominium actu permanens, eſt potentior quocunq; alio creditore debitoris ſui. Carpz.d.28 d.13,n.2.* Sic etiam in ſpecie (2.) deponens repetit res depoſitas, *Kœppen. 1. dec.28.n.3. Carpz.1 d.15.* etiamſi uſuras pactus fuerit deponens *l.24.§.2.d.reb.aut.jud. Add.Ex.16.th.12.* (3.) locator, commodato, precario &c. concedens *l.8. & ſeqq.commod.l.17.§.1.depoſ.* (4.) Bona adventitia filiif. quorum uſusfr. fuit apud patrem *D.Carpz. d.l.d.14.* (5.) uxor paraphernales & res dotales exſtantes *l.12.C.qui pot.in pign.l.29.d.jur.dot.l.69.§17.d jur dot Carpz.d.l.d 13.* (6.) debitoris debitor rem oppignoratam ſoluto debito: Præſtatio verò damni, quod creditor in illâ re dedit, inter chirographaria debita refertur. *arg.l.25.d.pign.act* (7.) venditor rem traditam fide de pretio non habitâ *arg.§.42 d.r.d.l.19.d.contr emt.* vel quamvis fidem de pretio habuerit, dominium tamen ſibi, donec pretium ſolutum reſervaverit *arg.l.5.§.18.d. trib. act. Add. Gail.2. o.15.n.4. Beuth.P.1.c.18.Rauchb.l.q.6.n.9. Kœpp.1.dec.28. Hillig. ad Don.4.c.16.d.* (8.) Socius communi dividundo judicio ſuam portionem *arg.illorum quæ dix.n.1.* Deniq; (9.) his accenſemus patrem, qui pecuniam, quam filiusf. ex cauſsâ mutui ſolvit, rei vindicatione petere poteſt, modò exſtet ac patris fuerit. *l.14.d.r.cr.junct.arg.l.23.pr.d.r.v.* II. Ratione juris hereditarii ante debitores admittitur heres in petendis rebus hereditariis ab eo qui iſtas pro herede vel pro poſſeſſore poſſidet: ſimili ratione coheres debitam portionem fam. herc. judicio præcipuam habet. III. Ratione pignoris omnibus indifferenter creditoribus debitoris præfertur ille, qui pignus conſecutus in re, antequam illam debitor emeret *Dn.Carpzov. d.c.d.22.*

XX. Illo-

XX. Illorum creditorum, qui concurrentes ſecundùm ſpecialia jura prioritatis collocantur, quinq; conſtituimus claſſes, quarum prima eſt ſimpliciter ac ſingulariter privilegiatorum, quales ſunt: I. qui in confectionem inventarii & æſtimationem bonorum debitoris ſumtûs fecit. *arg. l. 8. dep.* (Inventir- vnd Taxierungskoſten) *Beuth.1.c.26.27.* quò etiam ſpectat ſalarium curatoris bonorum. *Moller. ad conſt. El.28.p. 1.n.86.* it. quod heres qui cum beneficio inventarii adiit, & pôſt reſtituit hereditatem creditoribus, impendit. II. Miniſtri domeſtici ratione mercedis, *Vid. Carpzov. d.c.d.25. ad d.36. Mavius com. in Jus Lub. L.3.t.1.art.n.56. & ſeqq. Refert etiam huc Carpz. mercedem pro colendo agro debitam, & porro ex ſimilitudine rationis frumentum ſementarium d.37.38.* III. Qui impenſas funebres neceſſarias fecêre *l.45.d.rel. & ſumt.fun. l.17. C.d.reb.caut.jud.poſſ. l.ult.§.9.C.d.jur.deb.l.4.C.d.pet.her.* harũ nomine venit non ſolùm quod in ipſum funus, ſed & quod in pharmaca ac Medicos impenſum *l.37.d.rel. & ſumt.fun. l.4.C. d pet her. Vid. Kœppen.1.dec.28.n.15. Vivius dec.307.n.2. & de probatione Maſc. concl.722. Carpz. def 46.* obtinet hoc privilegium de jure civili non ſolùm in defuncti debitoris funus impenſis, ſed in omni impenſâ ad quam ſolvendam defunctus actione funerariâ compelli potuit *l.17.d.reb. aut.jud.* Jure verò Sax. reſtrictum ad impenſas in funus ipſius debitoris. *Vid.Carpz.d.40.41. Mav. d. l. n.93.* IV. Quibus debentur onera realia ſeu ipſis bonis debitoris ſingulariter inhærentia nim. (1.) fiſcus quoad tributa & collectas *l.1.l.2.C.h.propt penſ. publ. l. 1. C. in quib. cauſſ. pign. vel hyp.* nec non annonam publicam *l.3.C.d primipil.* non verò ſolum hoc privilegium ordinariis ſed & extraordinariis tribuendum exiſtimamus *arg. dd. text. add Exerc ult. Vid.Carpz.reſp.El.4.t.10.reſp.77. & ſeqq. & d.coſt.28.d.47. & ſeqq. Kœppen.1.dec.28.n.17.18. Mav. ad Jus Lub.3.t.1.art.12 n.7.* Tenebitur verò fiſcus has reliquas ſolutas in totius communitatis utilitatem impendere ita, ut concives in collectis priꝰ per moram aliorum gravati, hâc ratione rurſꝰ ſubleventur. Referunt etiam huc collectam, quam quibusdam locis ad exſecutiones criminales ſolvunt ſubditi. *Vid.Heig.2.q.23.n.5.* it. erogatum à magiſtratu ad proceſſum

exſecu-

exſecutionis contra debitores *Carpz.d.c.d.50.* (2.) ii , quibus canon emphyteuticus, decimæ, cenſus, ſimilesque annuæ penſiones debentur. *l.15. qui pot. in pign. Vid. Carpz. d. c. d.54. & L 4. reſp. El.12. excludit verò hinc. Id. d.53. laudemia.* (3.) Similiter cui debentur annui reditus etiã redimibiles. *Carpz. d. 55. ubi quoq; not. additum præjudicium de vaccis ferreis.* V. Coheres (*vel cui hic jus vendidit*) in pecuniâ, quam alter cohæres ex bonis hereditariis immobilibus diſtinctis temporibus dare cogitur, Erbgeld / *ſec. conſt. Elect.28.* modò non in mutuum converterit, aut non ſtatuto tempore exegerit. *V. Carpz. def 56. & ſeqq.* Non verò locus eſt huic prærogativæ in pretio, quod ex venditione bonorum immobilium diſtinctis terminis ſolvitur. *Col. d. proc. exſec. P.1. c.3. n.258. Rauchb.1 q 6 n.8.*

XXI. Secunda claſſis continet hypothecarios illos, qui non tantùm chirographariis, ſed etiam reliquis hypothecariis, licèt anteriores ſint, præferuntur. Quod fit vel ob privilegium, quod annexum eſt hypothecæ tacitæ vel expreſſæ; vel ob modum hypothecæ conſtitutæ. Prioris generis ſunt (1.) qui militiæ emendæ cauſsâ expreſsè credidit *N.97. c.4. Kœpp.1. dec.28. n.28.* Quod accommodant Dd. ad eos, qui ad equeſtres ordines, ad Doctoratûs, Magiſterii inſignia &c. it. beneficia Eccleſiaſtica conſequenda crediderunt *Vid. Beuth. c.56. inf. Gothofr. in N 97. c.3. l.d.* (2.) uxor in perſecutione dotis, ejusvè augmenti, quæ tamen præfertur ſec. communem ſententiam ſolum iis hypothecariis, qui non expreſſam hypothecam anteriorem habent *l.12. C. qui pot. in pign. N.97. c.2. Gail 2 o.25. Carpz. d. c. d 65. & ſeqq.* Sed quid ſi tacita hypotheca anterior, expreſſa intermedia & dos mulieris poſtrema concurrat? *Conf. Donell. in d. l.12. n 9. Rauchbar.1. q. 4. n.12. & ſeqq.* Neceſſe autem eſt ut probet dotem verè illatam *d. l.12. licèt non probetur verſa in rem mariti Carpz d. c. def.71.* non tamen ſufficit mariti confeſſio. *Carpz. d. l. d. 2. & ſeqq.* niſi & reliqui creditores per ſolum chirographum numerationem probent. *Mynſ 1. o.61. n.4. Carpz. d.76. Vid Mevius d. L.3. t.1. art 9. n.17. & ſeqq.* Tranſmittitur hoc privilegium ad liberos mulieris, non ad alios heredes, licèt hypotheca tacita ad omnes perveniat *l. un. C. d. priv. dot. d l.12 §.1. Carpz. def.95. & ſeq.*

Quod

Quod ſi ex duobus matrimoniis duæ dotes concurrant liberi prioris matrimonii liberis poſterioris conjugii præferuntur *N.91.c.1. auth.ſi quid ex rebus C.qui pot.in pign.* Non procedit iſtud privilegium contra debitores cum quibus ipſæ mulieres contraxerunt, vel ſaltem cum quibus maritus uxore legitimè conſentiente & renunciante privilegio contraxit *Kæpp.1.dec. 28.n.34.V.Carpz 2 c.16.d.1.9.15.16.* Similiter non obtinet, ſi cum marito communem exerceat negotiationem *Gail.2.o.90.n.5. Beutb.d.tr.P.1.c.35.* & denique quando ſciens prudensq; nubat viro obærato. *Gail.2.o.84.Carpz def.84.85.* Porro ſciendū, quod non extendi debeat hoc privilegium ad paraphernalia & donationes propter nuptias *d.l.12 §.2.Carpz.def.86.* In dotalitio tamen idem obtinet. *Vid.Carpz.def.93.* (3.) qui ad refectionem & conſervationem ædificii pecuniam credidit *N.97. c.3.* modò iſta & nominatim ita ſit mutuò data, & verè ita impenſa, & ædificium tempore, quo petitur debitum exſtet *Vid. Dn Præſ.Diſſ d.ædif priv.th.55.* Referas etiam huc neceſſarios ac utiles ſumtûs in & propter domum factos *Vinc.Caroz.tr.d. loc.cond.P.4 tit.d.expenſ.n 31.* (4.) Pupilli minores &c. in bonis tutorū curatorū *l.ſ.qui pot in pign.l.7.eod.l.19.§.1.l.20.l.21.l. 22.l.23.d.reb aut.jud.poſſ.Diſſ.Bacb.ad Weſ.n.2.3.ad Tr.2.D.24. d.it.Carpz.d.114.* (5.) fiſcus contrahens, in bonis debitorū poſt acquiſitis, licet adſint anteriorem expreſſam hypothecam habentes *l.28.d.jur.fiſc.Vid.Dn.Carpz.def.103. & 104. ubi de pœnis fiſcalibus Kæpp.1.dec.28.n.20.Hunn.Encycl.P.3.t.13.n.50.Conf. Perez. ad t.C.d.priv.fiſc.* (6.) Qui, privilegium aliàs inter chirographarios habentes *ſec.claſſ.4.* de expreſsâ hypothecâ ſibi proſpexerunt ut (1.) qui nominatim ad alius rei quàm ædificii conſervationem & refectionem credidit, & de hypothecâ expreſsè convenit, modò etiam verè impenſum in iſtam rem, *l.34.d.reb.aut.jud.poſſ l.6.eod.l.5. qui pot.in pign.junct.l.17.C. d.pignor.l.7.C.qui pot.in pign.N.97.c.3.Add.Bacb.2.D.24 tb.7. Diſſ.Carpz.def.105.verb.domûs vel alterius rei.* (2.). cujus pecunia res emta, modò itidem (1.) eâ lege crediderit, (2.) res eâ ſit emta, & (3.) hypothecam expreſsè in illâ re conſtituerit *l.17.C.d.pign.l.7.C.qui pot.in pign Beutb.P.1.c.19.Gail.2.o.12.n. 3.4.Add.Rauchbar.1.q.5.n.22.Carpz.def.107.& 108.* Similiter

Nnn (4.) venditori,

(4.) venditori, qui hâc expreſsâ conditione rem ſuam vendidit, ut usque dum pretium non ſolveretur, ſibi tantisper illa res (*ſecus eſt ſi generalem hypothecam conſtituerit, tunc enim tantùm inter hypothecarios alios refertur*) pignori ſit obligata. *arg. dd. ll. Hartm. Hartm. t. 27. o. 16. Gail 2. o. 15. n. 6. & ib. Grav. n. 8. Rauchbar. 1. q. 6. n. 7. (ubi de ruſticis) Diſſ. Carpz d. c. 28. d. 20.* Qr. autem an jure Saxon. etiam hoc caſu requiratur, ut ſi res vendita fuerit immobilis, judicialiter pignus in illa conſtituatur? *N. cum Bach. ad Tr. 1. D. 28. th. 11. g. Carpz. 2. c. 23. d. 16.*

XXIII. Ob modum hypothecæ conſtitutæ is, qui habet publicum inſtrumentum, (*Exerc 22. th. 27.*) quo hypothecam cōſtitutam probet, præfertur illi qui ejusdem generis hypothecam licèt tempore anteriorē, privatâ ſcripturâ contentā habet *l. 11. & auth. ſi quis. C. qui pot. in pign. N. 73. c. 1. & 9. Vid. Perez. in t. C. qui pot. in pign. n. 24. 25. 26. Beuth. d priv. cred. P. 2. c. 18. Bach. d. D. th. 6. c. & e. Mev. ad Jus Lubec. L 3. t. 1. art. 12. n. 63.* In foro Sax. diſpoſitio *d. l. 11.* in rebus mobilibus non obſervatur adeoque ſec. temporis prioritatem etiam extrajudiciale rei mobilis pignus præfertur pignori judiciali. *Vid. Carpz. 2. c. 23. d. 9.* unde etiam eſt quod in fructibus fundi pendentibus hypotheca extrajudicialis anterior præferatur. *Id. 1. c. 28. def. 124.* Rerum autem immobilium oppignoratio non aliter niſi in judicio facta valet. *Exerc. 20. th. 12. in fin.* Valida tamen & hęc jure Sax. ſi in præſentiâ duorum vel trium teſtium conſtituta hactenus, ut creditor talis præferatur chirographariis. *Carpz. d. c. 28. def. 125. n. 1.*

XXIV. In Claſſe Tertiâ poſt hypothecarios privilegio prælationis munitos ſequuntur creditores, qui tantùm ſimplicem hypothecam habent, in quorum concurſu ponderandum, num res ſint pignori obligatæ pluribus eodem tempore an diverſo. Si eodem tempore refert utrum omnibus ſeparatim, an ſimul & conjunctim. Priori caſu in ſolidum omnibꝰ & ſingulis res oppignoratæ cenſentur, ita ut ſinguli adverſus extraneos agentes in ſolidum, Servianâ utantur; concurrentes inter ſe, partes concurſu pro ratâ crediti faciant *l. 16. §. 8. d. pign.* Idem eſt ſi liquidò ſciri nequeat quis tempore prior ſit. *Add. Carpz. d. 111. & 146.* Sin verò pluribus ſimul & conjunctim

res

res oppignorata, & hoc actum, ut omnibus & ſingulis in ſolidum obligata eſſet, adverſus extraneos ſinguli in ſolidum ſervianâ utentur; ipſi autem ſi concurrant, poſſidentis conditio melior erit *l.16.§ 8. junct. l.10. d. pign. Conf. Bach. d. pignor. 1. c. 4. n. 5. & L. 2. c. 1.* Quando autem id actum, ut pro partibus res obligaretur, non plus quis habebit, quam partem ſibi obligatam *d. l. 10.* Quod ſi nihil expreſsè dictum, pro ratâ debiti ſinguli admittuntur *d. l. 16. §. 8.*

XXV. Si diverſo tempore eadem res pluribus oppignorata, ille, qui prior eſt tempore, potior eſt jure *l. 2. l. 8. l. 9. l. 11. l. 12. qui pot. in pign. l. 14. l. 15. C. d. pign.* adeò ut etiam is qui unâ tantùm horâ vel horę puncto prior fuerit, præferatur *Carpz d. def. 111. n. 1.* Hinc (1.) ſi creditor, qui prior hypothecam accepit, eam poſſideat, & poſterior contra eum agat actione hypothecariâ, poteſt ſe exceptione prioritatis tueri. Sin verò poſterior poſsideat, & prior vindicet hypothecariâ actione, poteſt hic illi excipienti replicare, quod prius ipſi res fuerit obligata. (2.) Quando cum alio poſſeſſore non creditore creditor licèt poſterior agat, rectè adjudicabitur ipſi pignus, & poſſeſſionem ejus accipit, ſed per id nihil præjudicabitur anteriori *l. 12. qui pot. in pign. Gail. 2. o. 25. Carpz def. 112.* Dicitur autem is prior tempore, non qui prius credidit, ſed cui prius res oppignorata *l. 11 pr. qui pot. in pign.* vel qui ex poſterioribus creditoribus in locum prioris ſucceſſit debitam priori pecuniam ſolvendo, vel ſi recuſet accipere legitimè offerendo *l. 1. C. qui pot. in pign. l. pen. & ult. C. de his qui in prior cred. loc. l. 22. C. d. pign. l. 12. §. 6. qui pot. in pign. Perez. in d. t. C. de his qui in prior. loc. n. 1.* obtinet verò hoc tantùm in creditore hypothecario: chirographarius ſolvens non ſuccedit in prioris creditoris locum, niſi nominatim hoc inter debitorem vel hypothecarium, cui ſolvit, actum *l. 1. C. d. t. Conf. Perez. n. 4. & ſeqq.* Idem erit in alio, non creditore, debitori pecuniam ad exſolutionem hypothecarii credente *Perez. ib. n. 2.*

XXVI. Obſervatur ille ordo ſeu prælatio temporis in omni ſpecie pignoris, ſive fuerit hypotheca ſive pignus in ſpecie ſic dictum. *Exerc. 20 th. 1.* ſive voluntarium idque aut purè aut ſub conditione, *modò hæc à voluntate debitoris non depen-*

dcat, contractum *l.1.l.9.pr.§.1.l.11. §.1. l. 12. §. 2. qui pot. in pign. Neguſ. Part 5.membr.2.n.10.verſ.16. Bach.d.pign. L.4.c.2.n.1.2.3. Carpz.def.147.* ſive neceſſarium idque vel legale ſeu tacitum, *l.8.C. qui pot. in pign. l.2.C.d.priv.fiſc. Conf. Bach.d. D. th. 6.c. Carpz.def.113. & ſeqq. quibus locat hypothecam tacitam in bonis tutoris, de quâ nos th.22.* vel prætorium *(add.d.Exerc.20.th.4. 7.10.)* fuerit *l. 10. qui pot. in pign. l. 2. & 3. C. eod. Vanderan. de priv.cred.c.15.16. Bach.d.pign. 4.c.7. n.2. Add. Carpz.d.139.140.* modò in pignore prætorio ex ſeparatâ cauſsâ immiſſio facta *l.2.C. qui pot. in pign.* aliàs ſi ex communi cauſsâ facta, unius miſſio alteri eandem cauſſam habenti prodeſt *l. 12.pr. d reb. aut.jud poſſ. l.15.§.13. d.damn.inf.l.5.§.1. ut in poſſ. leg. Exerc. 31. th.46 Vid.Neguz.P.3.m.2.n.10. Bachov.d.l.4.c.7.n 5.& ad Tr.th. 3.g. Kœppen.d.dec.28.n 38.* Notabis etiam hic quod jure Sax. arreſtum ſtatim à tempore primæ impoſitionis jus hypothecæ adeoque præ aliis hypothecariis poſterioribus jus potius ſeu prælationem tribuat. *Mav.tr.d.arreſt.c.15.n.11.Carpz.d.143.144.*

XXVII. Non intereſt porro an generalis an ſpecialis ſit hypotheca, ſed prior tempore poſteriori ſive hanc ſive illã hypothecam habeat, præfertur *l. 2. qui pot. in pign. l. 6. C. eod.* ita tamen, ut hanc ſpecialem ſc. habens innitatur ſpeciali ſuo pignori; illam verò habens quaslibet res perſequi poſſit, & præferatur etiam in rebus alteri ſpecialiter poſt obligatis *l. 2. qui pot. in pign. l.6.C.eod. Carpz.def.128. Exerc.20.th.15.16.* Sed quid ſi priori creditori duæ ſint conſtitutæ hypothecæ generalis & ſpecialis; poſteriori verò tantùm ſpecialis? Excutienda primũ bona ſpecialiter obligata, his non ſufficientibus ex generali hypothecâ quis alia bona perſequi poteſt. *l.2. C.d. pignor. ubi add.Giph. Carpz.d.def.128.Non obſt.l.2. qui pot in pign.*

XXVIII. Claſſis quarta continet creditores, quibus poſt hypothecarios privilegium exigendi præ chirographariis aliis competit: Hujusmodi ſunt: (1.) deponens ratione rei depoſitæ in bonis depoſitarii non amplius exſtantis *l.24.§. 2.d.reb.aut.jud.poſſ.Non obſt.l.7.§.2.depoſ. Add. Bach. th.fin.g. Carpz.def.150.* (2.) quibus ob piam cauſſam & alimentorum nomine debetur *ſec.conſt. Elect 28. ubi Moller.n.77. Carpz. def. 152. De jure communi ejusmodi debita in primâ claſſe quidam*

locant.

locant. Vid Surd.tr.d.alim.t.8.q.50.& 51. Coler.tr.d.alim.2.c.7. n.3. Mev. ad Jus Lub.d.L.3.t.1.art.11.n 77. & ſeqq. (3.) reſp. ſeu civitas creditrix *l pen.§.1.d.reb aut.jud.poſſ l.9.C.d.jur. dot. l.3. C.qui pot in pign.ubi Gothofr.Conf.Bach.th.7 f.Gail.2 o.62.n.3.4 Khmiſer.in proc edict art. 51.n. 1.* Idem jus tribuunt Eccleſiis aliisque piis locis. *Conf.Timq priv.præ cauſſ 143. Beuth. l. 1.c.5. Mev.d art 12 n.41.* (4) Advocati procuratores, Notarii ratione ſalarii *H.Piſtor 1.q.8.n.12. Kappen.d.28 n 14. Mev. d. art. 12. n.69.* (5.) qui ad rem emendam reficiendamvè credidit, nec ſibi de hypothecâ proſpexit *l.17.C.d.pign. l.26. l.34. d. reb. aut. jud. poſſ. Gail.2.6.12 n.3. o.25 n.13.Carpz def.155.* it. venditor in reſiduo pretii, ſi de pignore ſibi non proſpexit, *Id def.154.* *(6.)* is, qui ſine uſuris mutuo dedit *arg.l.7.§ 1. depoſ.l. 24. §. 2. d.reb. aut jud. ubi Ripa n.8.Mev.& alleg d.art.12.n 48.49.Carpz. def.153.* Ex his privilegiariis ſi quis chirographarii non privilegiati pecuniâ dimiſſus fuerit; hic chirographarius in illius locum collocatur *l. 24. §. 3. d. reb.aut.jud. Carpz def.134.* Notandum denique quod ſi hujusmodi privilegiati plures fuerint, & bona non ſufficiant, tunc absque conſideratione temporis pro ratâ omnes admittuntur *l 32. d.reb. aut. jud. Carpz. def. 149.*

XXIX. Reſtant in claſſi quintâ ac ultimâ chirographarii nudi & ſimplices, quorum appellatione hic veniunt non ſolùm qui chirographo ſed & per confeſſionem debitoris vel teſtes ſua credita probant. *Carpz. def. 159.* Illi verò ſine ullâ prærogativâ cauſſæ vel temporis pro quantitate debiti sec. proportionem Geometricam, ſi bona omnibus non ſufficiant, admittuntur *l. 6. C.d. bon. aut.jud.poſſ. Carpzov. def.158. Add. Exerc. 1. theſ. 21.*

XXX. Quæritur autem an eodem jure prælationis gaudeant ſors & uſuræ? De Jure civili uſura ſtatim jungitur ſorti, ac aliis debitoris cum ipsâ ſorte præfertur *l.18. qui pot. in pign. Neguſ.tr.d.pign.m.2.q.5.pr.n.15. Mynſ.1 o.59. Mev. & alleg. d.art.12.n.75.Carpz.def.160.* Jure verò Saxon. nonniſi in eum caſum, quo ſortibus omnibus exſolutis quid ſuperſit, uſuræ in concurſu adjudicantur, & tum poſt ſortes omnes locatas eo ordine, quo prius earum ſortes, & hæ collocatur. *Heig.1. q. 6.n.13.*

6.n.13. *Carpz.def.161.* ad quem caſum etiam de jure communi quidam reſtringunt *d.l.18.Vid.Dn.Richter.dec.74.n.56. & ſeqq.* Notandæ tamen exceptiones, quibus etiam de jure Saxon. multò magis jure communi uſurę unà cum ſortè exſolvendę, etiamſi nó omnib9 creditorib9 poſteriorib9 in ſorte ſatisfiat, quod fit vel ob conditionem ipſarū uſurarū, ſi nim. (1.) intereſſe petat & probet creditor. *Carpz.def.164. Add.Exerc.21. th. 32. in fin.* Similiter (2.) ſi fidejuſſor uſuras pro principali ſolutas petat, *Mav. d.l.n.82. Dn.Richter.d.l.n.58.* Vel ob conditionem ipſius debiti, ratione cujus uſuræ præſtādæ, ſic ſolvendæ unà cum ſorte (1.) uſuræ dotis & bonorum illatorum. *Id. def.166.* (2.) pretii reſidui, *Id def.167.* (3.) pecuniæ hereditariæ *def.168.* Huc etiam (4) referri poſſit annui reditus *Id. def.169. Dn.Richter.d.dec.n.57.* Vel ob favorem creditoris, ut (1.) Eccleſiæ & aliorum piorum locorum *Carpzov.def.171.* Pupilli quamdiu talis *Id. def. 172. 173.*

XXXI. Deniq; IV. agendum de remedio à Prætore introducto, contra debitores de fraudantes in bonis ſuis creditores, atq; ita intervertentes effectum miſſionis: idque eſt actio Pauliana, quâ creditor revocat id, quod debitor fraudulenter in damnum creditoris vergens geſſit.

XXXII. Datur hæc actio ex cauſsâ fraudulenti geſti adeoq; perſonalis videri poſſit, verùm cum in poſſeſſorem rei dirigatur, & res ab illo per hanc revocetur, & quidem propter pignus prætorium per immiſſionem tributam: ideò inter reales refertur *§.6.I.d.act.* ita tamen ut non ſimpliciter res à poſſeſſore vindicetur, *th.33.34.* ut in aliis actionibus realib9 ſed ex æquitate Prætor, illam ſic formavit, ut ne nimis faveret creditoribus, & poſſeſſoribus injuriam faceret, nec nimis poſſeſſoribus in damnum creditorum tribuat, *Bach. d.act. D. 3.th.39.* Non verò exiſtimamus requiri alienationem factam poſt bona poſſeſſa à creditoribus, ſed ſi debitor metuens immiſſionem & diſtractionem ante immisſionem animo fraudandi rem alienet, & pòſt poſſesſis bonis iisq; excusſis appareat bona non ſufficere, tunc dabitur hæc actio *l.1.§.1.l.15.h.l. 1. C. eod. Non obſt.§.6. I.d. action. Vid. Bach. d. l. Diſſ. Perez. n. 7. h.* Illud fraudulentum geſtum continet omne quicquid in fraudem

dem factum modò animo eventu reſpondeat, ſive per pactum, quo quid decedit bonis *l.1.§.2.h.* ſive per alienationē ad quam etiam ſpectat, hypothecam ſi quis fraudulenter conſtituat. *Vid. Berlich. dec. 118.* it. ſi res allodialis in feudalem convertatur *Carpz. 1. reſp. 83.* Non verò ſi delata hereditas vel legatum repudietur *Berl. d. 114. Gratian. diſc. for. t. 1. c. 132. it. t. 2. c. 172. Perez. in C. h. n. 13.*

XXXIII. Competit itaq; creditori, ejusque heredi in cujus fraudem alienatio ceſſit & facta eſt *l.1.§.1. l.10. §.1. l.15. h.* (*nec non curatori bonorū l.1. pr. h.*) etiamſi ſciverit *Hamm d. act. c. 19. n 30. ad n. 33. 36.* qui (1.) excutiet bona debitoris ut conſtet de effectu fraudis *l.1. C. h. Hammel. d. c. 19. n. 18.* (2.) probabit animum fraudandi ſaltem ex conjecturis ac præſumtionibus *Vid. Hammel. ib. n. 46. Perez. n. 10. ubi n. 11. addit casûs quibus ſolus ſufficit eventus nim. in alienationibus ultimâ voluntate factis Hammel. d. c. n. 25.* Qr. de creditore hypothecario an & huic detur? quod affirm. *Vid. Perez. n. 4. Hammel. ib. n. 32.* Aliis verò quàm ipſis creditoribus non competit, unde denegatur heredi debitoris *l. 4. C. h.* filio ob legitimam; conjugi ob portionem ſtatutariam *Vid. Henn. Hammel. d. c. 19. n. 9. 12.* Cæterum inſtituenda eſt intra aunum utilem computandum à tempore facto excusſionis, non à die alienationis *l.1. pr. l.10. h.*

XXXIV. Datur contra eos, in quos res fraudulenter translata, & quidem contra eum qui fraudis conſcius & particeps fuit quocunq; titulo acceperit *l. 1. pr. l. 10. §. 2. h. quò etiā pertinet, ſi teſtatò fuerit conventus à creditore, ne emeret d. l. 10. §. 3. h.* contra fraudis verò ignarum, nonniſi ex titulo lucrativo acceperit *l. 6 §. 12. l. pen. C. h.* *Add. Hamm. d. l. n. 29. & ſeqq.*

XXXV. Petitur hâc actione geſtum in fraudem reſcindi, & in bona debitoris rem reſtitui, perinde ac ſi inde translata non fuiſſet, ſed in illis bonis manſiſſet *d. §. 6. de action.* adeoq; licèt ante bona poſſeſſa res alienata ſit, tamen reſciſsâ ita alienatione miſſio & in iſta cenſetur facta. *Add. Hammel. d. c. n. 45. & n. 48. ubi formulam libelli tradit.* Reſtauratur autem hâc actione non ſolùm res corporalis ſed etiam actiones *l. 14. h.* & rei etiam fructûs revocantur, qui tempore alienationis terræ cohærebant, quique poſt inchoatum judicium percepti

non

non autem medio tempore h.e. inter alienationis & litis conteſtatæ tempus percepti *l. f.* §. 4. *h. Non obſt. l. 10.* § *22 h. V. Perez. n. 15.* Revocatâ a. ſi licèt re à poſſeſſore, non tamen ipſi pretium refunditur *l. 7. h. Perez. n. ult.*

XXXVI. Quod ſi verò debitor rem fraudulenter ita diſperdidiſſet, ut nullâ reſtitutione recuperari poſſet, ipſe convenitur, & quidem ſi non habeat in bonis unde ſatisfaciat, & fraudem reſarciat, incarcerabitur *l. ult. §. f. l. 1. h. add. l. ult. C. eod. Bach. ad Weſ. n. 10.*

XXXVII. Cæterum quæritur; ſi debitor creditori cuidam, in exigendo debito ſibi vigilanti, ſolverit, an cæteri creditores id poſſint repetere? Diſt. an ſolutio ſit facta bonis jam poſſeſſis; an verò bonis nondum poſſeſſis. Priori caſu quod uni exſolutum revocabitur *l. 6. §. 7. l. 24. quæ in fraud. cred. Carpz. def. 179. n. 3. Vid. Mævius L. 3. t. 1. art. 3. n. 25.* idem obtinet, ſi quidem bona nondum poſſeſſa ſint, pluribus tamen creditoribus inſtantibus & ſolutionem urgentibus, uni per gratificationem ſolvatur *l. 24. in fin. eod. l. 6. §. 2. d. reb. aut. jud. poſſ. Id. n. 4. & P. 2. c. 44. d. 13. Mæv. d. l. n. 31.* Poſteriori caſu ſubdiſt. inter creditores pari jure fruentes & quorum alii aliis ob jus potius præferuntur. Primi generis creditores id, quod uni ex illis ſolutum, nequeunt repetere *d. l. 6. §. 2. d. reb. aut. jud. poſſ. l. 6. §. 7. quæ in fr. cred.* ſic chirographarii nudi nequeũt repetere aliis chirographariis ſolutum; nec chirographarii privilegiati ab alio chirographario privilegiato *per th. 28. Carpz. & alleg. def. 178. n. 2. def. 179. n. 1.* Secundi generis creditores quod attinet, illi, qui potius jus habẽt, revocabunt quod alteri ſolutũ ſine tamen uſuris medii temporis *l. 18. §. ult. l. ſeq. d. jur. fiſc. Mævius n. 12. l. 5. C. d. privil. fiſc.* Hinc (1) Privilegiati creditores, & hypothecarii repetunt ſolutum nudis chirographariis. *Carpz. def. 179.* & (2.) hypothecarii priores pecuniam poſterioribus ſolutam. Utuntur verò privilegiati condictione ex lege; hypothecarii verò pecuniâ ſolutâ exſtante apud creditorem, actione hypothecariâ; non exſtante, condictione ex lege. *H. Piſtor. 41. q. 20. n. 11. Mævius d. l. n. 11. Vid. Carpz. def. 180.* Eſt tamen hoc beneficium juris contra poſteriores creditores prioribus competens ſubſidiarium, unde non obtinet (1.) ſi ordinarium ſuppetat, e. g. denegatur condictio contra creditorem, qui acceperat rem priori obligatam, ſi eam non poſſideat, cum detur contra tertium poſſeſſorem actio hypothecaria *l. 1. d. diſtr. pign. H. Piſtor. d. q. 20. n. 10.* (2.) ſi ex bonis debitoris etiam prioribus poſſit ſatisfieri *l. 6. §. ult. d. bon. aut. jud. poſſ. Kapp. 1. d. 62. n. 14. Carpz. def. 181.* (3.) ſi debitoris fides adhuc integra & res ejus in eo ſtatu fuerit tempore ſolutionis, ut omnibus creditis ſufficerent *arg. l. 6. qui & à quib. man. Vid. Mæv. d. l. n. 21.* Notandum deniq; hic quod emtor ſub haſtâ, qui pretium ſemel ſolvit, tutus ſit, nec à creditoribus quibus ex precio haud ſatisfactum conveniri poſſit. *Carpz. d. c. 28. def. ult.*

TE virtutis amor compellit ad ardua quæque,
Rurſus & intrepidus pulpita noſtra premis:
Hinc decus immortale Tibi laudesque perennes
Surgent, & patriæ dulce ſolamen eris;
Nam quæ jamdudum meritus condigna brabéa
Lætâ fronte Tibi præparat alma Themis.

Ita
Eximio ac Doctiſſimo Dn. Reſpondenti animitùs gratulatur

ERASMUS UNGEPAUR, D.J.U.
& Ordinarius.

QUilibet ut ſolvat, quod debet, & addat honeſtis
Pollicitis vinctam Numine teſte fidem:
Hoc tua ſcripta monent. Feliciter ampla Lycæi
Pulpita conſcendas, corde gemente precor!

Chriſtoph. Philip. Richter D.
Com.Pal.Cæſ.Prof.Publ.&
Facult. Jurid. Senior.

IMprobus haud mos eſt abituro nectere ſerta
Ne modò tu dubites poſcere ſerta Themin.
Candida candentem tibi porriget euge coronam
Teque revertentem purpurea excipiet.

Ex animo gratulatur
Sigismundus Peilick D. J. U.

DAnbergere, polo jam quartus volvitur annus,
Factus es ut menſæ portio magna meæ.
Jam quartùm cathedram Themidos conſcendis, & almi
Ingenio juris tollis & arte plicas.

Quod

Quod ſi vox feriet tua quintùm pulpita; ſucco
Oebalio cinget lota tiara caput.

Honoris ergo
Convictori & amico
f.
Daniel Sthalius P. P.

DIß O mein werther Freund/ dein herrliches Beginnen/
Iſt billich lobens werth/ es zeigt daß deine Sinnen
Weit höher ſeyn gericht/ vnd nicht gleich wie die Welt
So nur Geldt/ Güter/ Pracht vnd was jhr mehr gefält
Fürs höchſte Guth erkent. Nun ob wol dieſe Sachen
Bißweilen ſie erfrewn vnd einen Muth jhr machen/
Seyn ſie vergänglich doch. Ein ſehr viel ſchöners Ziel
Haſt du dir vorgeſetzt/ das nur der weiſe will/
Vnd vnvergänglich iſt. Mit ſolcher Kunſt vnd Tugend
Wer da verſichet wohl die Blüthe ſeiner Jugend
Vnd ſeiner Jahre lentz; ich weis daß keine Macht
Demſelben nehmen wird/ was er hat vor ſich bracht.
Nun werther fahre fort/ fürcht nicht die wilde zeiten
Da nichts denn Mars regiert/ laß du noch höher ſchreiten
Dein reich-beſtelten Sinn: Ich ſehe ſchon die Krohne
Die du für deinen Schweiß empfangen ſolt zu lohne.

Dieſes ſetzet glückwünſchent ſeinem vielgeehrten
vnd ſehr werthen Freunde
M. Julius Krauß/ von Hameln.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

(O)